

## INTVS MONACHI, FORIS APOSTOLI»

### *De Archiabbatia Ottiliensi eiusque historia (40)*

#### 4.12.2.4. De dissensionibus cum Protestantibus (4)

Quamquam Benedictini «confessi» erant fines contractūs anni 1909<sup>i</sup> transgressos esse, cui confessioni Thomas Spreiter se adiunxerat, episcopus interea progrediendi modo Missionis Berolinensis tam enecatus erat, ut ipse condiciones ferre inciperet, sub quarum fundamento compositionem pacis cum Protestantibus fieri posse existimavit.

Postulata sua episcopus magis generaliter primā vice mense Augusto anni 1913<sup>i</sup> erga Aloisium zu Löwenstein verbis expressit.<sup>1</sup> Nam ibīdem dixit se pro omnibus malis incommodisque, quae Benedictini atque ipse quōque impetibus opprobriisque publicis iam experti erant, tamquam compensationem exposcere, ut Protestantes possessiones praesentes agnoscerent. Interea enim Benedictini nonnullas novas stationes scholasque condiderant.<sup>2</sup> Imprimis illas duas scholas apud principes Makua atque Undole, quas Protestantes aegerrime tulerunt, Thomas Spreiter nullo modo relinquere atque tollere voluit, cum eventibus posterioribus in centrum missionariorum operum Benedictinorum pervenissent.<sup>3</sup>

Postquam episcopus Thomas Spreiter in initio mensis Decembris a. 1913<sup>i</sup> Berolini colloquium cum statūs secretario Vellelmo Henrico Solf habuit, modo scripto illas condiciones illaque proposita ad pacem cum Missione Berolinensi ineundam magis praecise exhibuit, quae iam erga Aloisium zu

---

1 Cfr Thomae Spreiter epistula die 10 m. Aug. a. 1913 ad Aloisium zu Löwenstein directa (ASO, Z.1.07).

2 In epistulā die 10 m. Aug. a. 1913 ad Aloisium zu Löwenstein missa (ASO, Z.1.07) legitur: «*Quod expugnāvimus, habemus et de eo ne particulam quidem reddam.*» (Textus originaliter Theodiscus).

3 Hōc Thomas Spreiter Aloisio zu Löwenstein explicuit epistulā die 17 m. Aug. a. 1913 datā (ASO, Z.1.07), postquam Aloisius zu Löwenstein interrogavit, num illae duae scholae ad opprobrium amovendum postmodum relinqui possent. Sed quia propter «belli indictionem» Berolinensium et propter dissesensiones cum ipsis in regione missionariā ab statione Tosamaganga mense Augusto a. 1912<sup>i</sup> scholae conditae erant et mense Martio a. 1913<sup>i</sup> in territorio Masagati fundationes factae erant, scholae primo vituperatae revera in centro retis recenter tensi sitae erant.

Löwenstein protulerat.<sup>4</sup> Hic imprimis denuo exposuit se contractūs de terminis non iam inire posse, praeterea satisfactionem pro omnibus «*inauditis impetibus*» contra Benedictinos et contra semet ipsum postulavit. Sub his condicionibus fundamentalibus se ad pacem componendam paratum esse. Singillatim tulit condicones has:<sup>5</sup> Primo Berolinensis Societas Missionaria statum tunc exstantem Benedictinorum agnosceret oportebat, id est omnes foundationes, quae inde ex rixis exortis factae erant.<sup>6</sup> Hunc in modum etiam contractum anni 1909<sup>i</sup> sublatum esse. Praeterea liberatio ab contractū quōque anni 1906<sup>i</sup> respicienda erat, si indigenae unam ex his duabus confessionibus vocarent.<sup>7</sup> Secundo ab utraque parte modus progrediendi vitandus erat, quo difficultates exoriri possent. Haec sententia secundum Thomam Spreiter significavit ibi nullas stationes Europaeorum nullasque scholas fundari neque auctoritatem in indigenas interponi licere, ubi altera confessio iam stabiliter operabatur. In illis locis, in quibus utraque confessio laborabat, verum initium operum regularium sit causa suprema, id est prior missio manet, posterior cedit illo temporis momento.<sup>8</sup> Tertio - et etiam haec res Thomae Spreiter erat alicuius momenti - omnes eventūs, quibus tempore praeterito animi excitabantur, in publico atque in actis diurnis non iam disputarentur oportebat et ab Berolinensi Societate Missionariā in periodicis suis missionariis divulgandum erat conventionem factam esse.<sup>9</sup>

Puncta autem secundum atque tertium, quae episcopus exhibuerat, utique erant consideratū digna et ad problemata compoenda multum conferre valuisent. Tamen propositum, quo confessio prima veniens in illo loco agnoscere-

---

4 Cfr Thomae Spreiter epistula die 8 m. Dec. a. 1913 ad Vilelmmum Henricum Solf directa (ASO, Z.1.07). - Hōc in conexū Thomas Spreiter primo accusationes Protestantium eorumque modum progrediendi fuse explicuit et praeterea argumenta defensoria Benedictinorum protulit.

5 Thomas Spreiter easdem appellavit condiciones ad pacem in «*bello invito ingesto*» componendam.

6 Thomas Spreiter hic praesertim foundationes Sangi atque Mchombe nominavit.

7 Itaque Thomas Spreiter condiciones suas - sicuti etiam ex aliis enuntiatis apparet - invicem valentes existimavit, id est ab catholicis quōque vocationem agnoscendam esse, quae ad Protestantes directa erat.

8 Tamen secundum opinionem Thomae Spreiter in casū necessitatis conventiones inter Superiores locales fieri possent.

9 Thomas Spreiter in fine asseveravit Berolinensem Societatem Missionariam, si satisfactionem repudiaret atque bellum ultra gerere vellet, fore «*responsabilis pro sequelis*». Hōc enuntiatō locutionem Cāroli Axenfeld suscepit.

tur, non tam facile ad effectum adduci potuit, cum - uti temporibus antecedentibus monstrabatur - perceptiones, quis revera primus in aliquo loco fuisset et quid «opera regularia» significarent, multum differebant.<sup>10</sup> Quod attinet ad postulata puncti primi, eadem ex aspectū Protestantium revera non erant acceptabilia. Sed hōc episcopus Thomas Spreiter verisimiliter etiam scivit.<sup>11</sup>

Cum dissensiones inter Missionem Berolinensem atque Benedictinos finem nondum invenissent,<sup>12</sup> secretarius statūs Vilelmus Henricus Solf, cuius imprimis ex causis politicis compositio rixarum intererat, denuo ad Praelatum Franciscum Cárolum Hespers atque ad superiorem consiliarium iudiciale Berner se convertit, ut iidem mediationem hac in re susciperent atque consultationes instituerent.<sup>13</sup> Cum Franciscus Cárolus Hespers statim episcopum Thomam Spreiter scripto modo adiit eumque interrogavit, quem in modum

---

10 Conferantur ex. gr. difficultates in locis Muhanga et Loamate.

11 In aliā epistulā die 13 m. Dec. a. 1913 ad Vilelmmum Henricum Solf missā (ASO, Z.1.07) Thomas Spreiter denuo in condiciones suas insistebat, postquam iterum de divulgationibus protestanticis, quae paci non prosunt, de «scholis tutelaribus resistentiaeque» et de progrediendi modo quorundam missionariorum protestanticorum questus est. Scitū dignum est Thomam Spreiter hic enuntiata ex divulgationibus Berolinensis Societatis Missionariae afferre, secundum quae régimen hanc Societatem rogavisset, ut non solum regionem lacūs Nyassa, sed etiam oppidum Wiedhafen etc. magistris Christianis suppeditaret. Talem rogationem directam Thomae Spreiter potius non verisimilem esse videbatur. Eum recte iudicavisse apparet ex responso Vilelmi Henrici Solf die 28 m. Dec. a. 1913 dato (ASO, Z.1.07), quo nuntiavit sibi de tali rogatione nihil notum esse. Si haec sententia Protestantium realitati convenisset, idem ut repraesentans regiminis hoc scire debuisset.

12 In fine mensis Novembris a. 1913 oratione quādam, quā generaliter agebatur de necessitate missionis paganorum, breviter etiam sententiam suam protulit de relatione inter missionem catholicam atque protestanticam. Hōc fecit sub respectū disputationum vehementium, quae in conexū rixae inter Berolinensem Societatem Missionariam atque Benedictinos instituebantur, etiamsi casum ipsum non nominavit. Existimavit autem idem cooperationem ambarum confessionum erga adversarios communes, ex. gr. erga Islamismum, necessariam atque licitam esse. Tamen intentionem crescentem missionis protestanticae non esse obstaculum missionis catholicae, sed ei hunc in modum aemulationem invito offerri, quā catholici ad novam contentionem virium cogerentur. (Cfr Alois zu LÖWENSTEIN: Rede bei der Missionsversammlung im Königl. Odeon zu München am 30. November 1913. Regensburg 1913, pp. 11 sqq.)

13 Cfr epistula Francisci Caroli Hespers die 31 m. Dec. a. 1913 ad Thomam Spreiter directā (ASO, Z.1.07). Etiam responso suo ad Franciscum Carolum Hespers die 7 m. Ian. a. 1914 misso (ASO, Z.1.07) Thomas Spreiter asseveravit Benedictinos pacem quidem velle, sed tantummodo sub condicionibus ab ipso prolatis.

consultationes praedeliberandas esse futuras existimaret,<sup>14</sup> videtur iudicialis consiliarius superior Berner, ut ex eius epistolā ad Franciscum Cārolem Hespers directā manifestatur,<sup>15</sup> nonnullas difficultates internas hōc in munere habuisse. Eaedem ei unā ex parte inde exoriebantur, cum existimaret Berolinensem Societatem Missionariam semper ad consultationes fuisse paratam, sed ab Benedictinis non iam ulla proposita venisse; alterā ex parte quaestionem posuit, quomodo controversiam dirimeret, si fundamenta usque tunc valentia relinquerentur<sup>16</sup> atque ut fundamentum nunc postulata Thomae Spreiter valerent. Bernero sensus condicionum Thomae Spreiter est hic: *«Omnia, quae Benedictini fecerunt, sunt iusta, omnia, quae Berolinenses fecerunt sunt iniusta; ergo maneant in eo, quae Benedictini fecerunt.»*<sup>17</sup> Opinionem autem suam generalem de hōc problemate Bernerus protulit sententiā hac: *«Res tam mire se habet, ut secundum materias meas soli Benedictini iniuste egerunt.»*<sup>18</sup> Tale enuntiatum scilicet est quadamtenus dubium, cum agatur saltem de conamine aequabilitatis decernendi, quod mediatores appetere deberent. Ex illā epistolā etiam manifestatur Bernerum explicationes Cārolī Axenfeld prorsus ita secutum esse, ut neque eas investigaret neque quicquam ex eiusdem opinionibus addubitaret. Hōc valet

---

14 *Cfr* epistula Francisci Caroli Hespers die 31 m. Dec. a. 1913 ad Thomam Spreiter directa (ASO, Z.1.07).

15 *Cfr* epistula iudicialis consilii superioris Berner die 2 m. Febr. a. 1914 ad Franciscum Carolum Hespers data (ASO, Z.1.07).

16 His verbis loquitur de retractione scholarum apud principes Makua atque Undole, de consultationibus suscipiendis, quibus participes praesentes adsunt, et de arbitrio instituendo, si illae consultationes in irritum caderent. Quod iudicialis consiliarius superior Berner haec puncta percepit ut «fundamenta usque tunc valentia», refertur ad quasdam sententias, quas Abbas Norbertus Weber in commercio suo epistulari cum Carolo Axenfeld protulerat. Possibilia vero fundamenta consultationum, quae Norbertus Weber disputationi inseruerat, episcopo tamen nullo modo erant obligatoria, cum Abbas - etiamsi erat Congregationis Superior generalis - erga ipsum ut episcopum atque Superiorem ecclesiasticum nullam vim directoriam haberet. Protestantes verisimiliter hos conexūs structurae perspectos non habebant.

17 Epistula iudicialis consilii superioris Berner die 2 m. Febr. a. 1914 ad Franciscum Carolum Hespers data (ASO, Z.1.07). - Textus originaliter Theodiscus. - Has conclusiones trahere tamen verba Thomae Spreiter non sinunt. Ipse episcopus denuo explicuit, quid verbis suis revera dicere voluisset, in epistolā suā responsoriā die 17 m. Febr. a. 1914 ad Franciscum Carolum Hespers directā (ASO, Z.1.07), quā expositiones Berneri disputavit.

18 Epistula iudicialis consilii superioris Berner die 2 m. Febr. a. 1914 ad Franciscum Carolum Hespers data (ASO, Z.1.07). - Textus originaliter Theodiscus.

etiam de Berneri perceptione, quid significaret terminus, qui est «status quo ante».<sup>19</sup>

In summā iudicialis consiliarius superior Berner - sicuti non aliter erat expectandum - ad conclusionem pervēnit condiciones Thomae Spreiter non esse acceptabiles, cum eadem «*Protestantium deditionem penitus facientem*» significarent. Quod imprimis punctum primum postulatorum episcopi ab Missione Berolinensi accipi non potuerunt, ex eius aspectū omnino clarum est. Sed Berner secundum quōque punctum ut non disputandum refutavit, nempe propositum, quo singulae missiones illuc irent, quo vocarentur, et propositum, quo prior veniens in loco maneret. Hōc iudicium tamen non ita intellegi potest.<sup>20</sup>

Nihilominus Berner conamen suscipere voluit, quo dissensiones consultationibus coram factis in viam reconciliationis dirigeret. Ad tales consultationes etiam Thomam Spreiter Berolinum venire expectabatur.<sup>21</sup> Tamen talis conventus, quem Franciscus Carolus Hespers, iudicialis consiliarius superior Berner, Cárolus Axenfeld, Christianus Schumann atque Thomas Spreiter participarent, non iam est factus, quia episcopus, cum ageretur de termino temporali exacto, Romae versabatur atque in eo erat, ut inde in Africam

---

19 Scitū dignum etiam est Berneri dictum hōc, quod spectat ad conventum inter Cárolum Axenfeld atque Thomam Spreiter die 4 m. Dec. a. 1912 in urbe Daressalamensi habitum: «*Tota significatio conventionis diei 4 m. Dec. a. 1912 constat manifeste in eo, quod nulli participi ex parte suā solā rem renuntiare licet.*» (Epistula iudicialis consiliarii superioris Berner die 2 m. Febr. a. 1914 ad Franciscum Carolum Hespers data (ASO, Z.1.07)). - Sententia originaliter Theodisca. - Haec interpretatio mihi aliquatenus mira esse videtur, cum interrogandum sit, quid sibi velit, si possibilitas, quā renuntiatio alicuius conventionis solum ab unā parte fiat, non praebet. Hunc in modum omnes praedeliberationes atque consultationes tam obligatoriae fierent quam contractus ratus habitus. Talia autem non congruunt cum sensū consultationum. Hanc perceptionem Berneri esse miram etiam Thomas Spreiter putavit in epistolā suā die 17 m. Febr. a. 1914 ad Franciscum Carolum Hespers missā (ASO, Z.1.07), quā sententias Berneri disputavit, quamquam episcopus hōc locō alia argumenta attulit. - Ceterum Berner in explicationibus suis illas consultationes diei 4 m. Dec. a. 1912 inter contractūs numeravit. Hōc non esse rectum iam Thomas Spreiter in epistolā suā die 17 m. Febr. datā (ASO, Z.1.07) iure meritoque monuit.

20 In epistolā die 17 m. Febr. a. 1914 ad Franciscum Carolum Hespers directā (ASO, Z.1.07) Thomas Spreiter recte adnotavit tale propositum refutare contradictionem esse quoad libertatem conscientiae et contradictionem quoad acta Congoica et quoad legem regionis tutelariorum.

21 *Cfr.* Epistula iudicialis consiliarii superioris Berner die 2 m. Febr. a. 1914 ad Franciscum Carolum Hespers data (ASO, Z.1.07).

Orientalē rediturus erat.<sup>22</sup>

Sed hunc in modum disputationes de rixis componendis nondum ad finem pervēnerunt. Nam ex. gr. Franciscus Carolus Hespers propositum alicuius generis compromissi exhibuit, secundum quod Missio Berolinensis publice opprobria retraheret, quibus dixerat Benedictinos consulto ius fregisse, Benedictini alterā ex parte unam vel etiam duas illas scholas ab in initio vituperatas tollerent.<sup>23</sup> Episcopus Thomas Spreiter hōc propositum non statim quidem repudiavit et de eodem cum Patribus suis consulere voluit, sed ex ipsius argumento se periculum recipere non valere, quo hunc in modum Christianos, qui in tutelā ipsius essent, relinqueret, et ex quaestione, num homines reicere liceret, qui iterato modo de scholis rogavissent, iam satis clare apparuit episcopum propositum Praelati sequi non vere paratum fuisse. Alterā ex parte etiam non est putandum Missionem Berolinensem hōc propositum accepturam fuisse, quod ei verisimiliter non satis amplum erat.

Dum haec communicatio inter repraesentantes Berolinensis Societatis Missionariae Benedictinorumque et mediatores fit, rixae in regione missionariā Africae Orientalis assidue continuabantur, immo maiorabantur. Praesertim in regione Masagati vehementes controversiae videntur factae esse.<sup>24</sup> Eaedem autem instigabantur «scholis tutelaribus resistentiaeque» sic dictis, quae immediate iuxta scholas Benedictinas instituebantur, et rumoribus consulto divulgatis, sed etiam progrediendi modo duro nonnullorum missionariorum protestanticorum, ad quos quōque superintendens Christianus Schumann et missionarii ab ipso emissi Alfredus Oelke<sup>25</sup> atque Iohannes Kallweit<sup>26</sup> pertinebant. Imprimis Iohannes Kallweit modo dubio et partim violento excelluisse videtur. Tali modo indigenae quōque minis dirigebantur atque vi premebantur. Non autem est putandum Benedictinos haec omnia sine

---

22 *Cfr* epistula Thomae Spreiter Kal. Mart. a. 1914 ad Franciscum Carolum Hespers directa (ASO, Z.1.07). Iam antea episcopus significaverat difficultates terminorum temporalium fortasse fieri posse. (*Cfr* epistula Thomae Spreiter die 17 m. Mart. a. 1914 ad Franciscum Carolum Hespers directa (ASO, Z.1.07)). Fortasse episcopus tamen non nimis aegre tulit talem conventum non institui.

23 *Cfr* epistula Thomae Spreiter die 8 m. Mart. a. 1914 ad Franciscum Carolum Hespers directa (ASO, Z.1.07), quā episcopus ad propositum Praelati respondit.

24 Tamen etiam aliae regiones territorii contentioni subiecti his condicionibus tactae erant.

25 Qui pertinebat ad regionem circumcirca stationem protestanticam Pommern et sic ad regionem circumcirca stationem Tosamaganga.

26 Qui in regione Masagati operabatur.

resistentiā atque sine propriis actionibus spectavisse. Tamen ipsi - aliter ac ex.gr. Iohannes Kallweit - a violentā abductione discipulorum atque a minis se retinuerunt, quibus parentes in stationibus militaribus accusabantur, si liberos suos in scholas alterius confessionis miserunt.<sup>27</sup> Sed scitū dignum est episcopum Thomam Spreiter, qui pertinaciter in condicionibus suis ad pacem componendam insistebat, nihilominus ab Patribus suis postulavit, ut caute neque modo offensivo progredierentur.<sup>28</sup>

---

27 Quosdam missionarios Berolinenses tales methodos adhibuisse apparet ex compluribus reclamationibus Benedictinorum, quas in stationibus militaribus protulerant. *Cfr* ex.gr. epistula Athanasii Reichart die 9 m. Sept. a. 1913 ad stationem militarem Mahenge directa (ASO, Z.1.07); epistula Athanasii Reichart die 26 m. Oct. a. 1913 ad stationem militarem Mahenge missa (ASO, Z.1.07); epistula Michaelis Heinlein die 10 m. Apr. a. 1914 ad stationem militarem Mahenge data (ASO, Z.1.07); epistula Theodosii Schall die 8 m. Iun. a. 1914 ad stationem militarem Mahenge directa (ASO, Z.1.07). - Sed etiam interno commercio epistulari atque internis relationibus Benedictinorum haec problemata manifestantur. *Cfr* Pankratius Pfäffel: Stand der kath. Mission im Gebiete rechts des Mnyera. Aussichten und Befürchtungen (Juni 1914) (ASO, Z.1.07); Theodosius Schall: Sangi-Bericht (März 1916), p. 4 (ASO, Z.1.07); Pankratius Pfäffel: Meine Schultätigkeit in Masagati (März 1916), pp. 1 sqq. (ASO, Z.1.07). - Africanos timore affectos interrogavisse, num revera poenae eis exspectandae essent, si liberos suos ad missionem catholicam mitterent, rettulit ex.gr. Eutsachius Fuchs in epistolā die 10 m. Ian. a. 1915 ad Michaelē Heinlein directā (ASO, Z.1.07). - De progrediendi modo Protestantium *cfr* etiam Thomae Spreiter diarium, 15.6.1914 sqq. (ASO, A.1.8.1). - Breviter condicionem etiam commemorat Soltan SCHÄPPI: Die katholischen Missionsschulen des Tanganyika-Gebietes. Diss. Münster 1935, pp. 85 sq.; Soltan SCHÄPPI: Die katholische Missionschule im ehemaligen Deutsch-Ostafrika. Paderborn 1937, p. 196.

28 *Cfr* ex.gr. epistula circularis Thomae Spreiter die 15 m. Mart. a. 1916 ad Patres directa (ASO, Z.1.07), quo scripto episcopus contractum Gawiro appellatum anni 1906<sup>i</sup> commemoravit, qui anno 1916<sup>o</sup> ad finem vergebat. Quamquam non provisum erat, ut hic contractus prolongaretur, eius fines, quoad nondum violati erant, tamen tacito observarentur. Tamen Patribus licebat illuc ire, quo vocabantur. Sed Thomas Spreiter antea semper relationem de singulis condicionibus accipere voluit et ipsius responsum erat exspectandum, antequam aliquid definitivum susciperetur. - Generaliter Thomas Spreiter postulavit, ut principes Africani, si scholam Benedictinam voluerunt, hoc desiderium in statione militari iterarent et fundatio tunc demum fieret, postquam missionarii votum desiderii prolati inde probatum acceperunt. (*cfr* Thomae Spreiter telegraphēma die 11 m. Iun. a. 1913 ad stationem Tosamaganga missum (ASO, Z.1.07)). Praeterea in discipulis requirendis tantummodo tales inscriberentur, qui non apud Protestantes iam annuntiati erant, et magistri indigenae iterum iterumque monerentur, ut pacifice cum magistris protestanticis viverent (*cfr* epistula circularis Thomae Spreiter die 18 m. Dec. a. 1912 ad Patres directa (ASO, Z.1.02)). - Scitū dignum hōc in conexū est dominam quandam Ruhmland, possestricem Germanam alicuius praedii, episcopo Thomae Spreiter propositum obtulisse. Eadem enim rogavit, ut in territorio praedii sui schola catholica

Tota condicio praeterea vere iniucunda reddebatur, quod administratio Germanica magis in dissensiones involvebatur. Imprimis Missio Berolinensis hanc viam ingressa est et iterum iterumque querelis de Benedictinis ad régime coloniale se convertit.<sup>29</sup> Cum Benedictini similiter querelas protulerunt, eisdem plerumque nullus effectus bonus erat, praesertim non ex statione militari Mahenge, ubi illo tempore locumtenens Grawert erat praepositus. Suspicio satis iusta ergo movetur locumtenentem Grawert Missionem Berolinensem protegisse et - caute dictum - erga Benedictinos animum non nimis benevolum habuisse.<sup>30</sup>

Hōc in conexū exemplum quoddam breviter commemoretur, quo condicio in parte disputatā territorii missionarii, imprimis in regione Masagati, satis bene

---


conderetur. Hoc fecit, postquam ab Protestantibus nullam scholam accepit, quamquam conventionem cum Carolo Axenfeld inierat atque compluries desiderium suum apud ipsos protulerat. (Cfr epistula dominae Ruhmland die 6 m. Febr. a. 1916 ad Thomam Spreiter directa (ASO, Z.1.07)). Thomas Spreiter tamen hōc rogatum responso suo diei 17 m. Mart. a. 1913 recusavit (ASO, Z.1.07) praeter alia causam afferens contractum scriptum cum Carolo Axenfeld in initio primo legitime solvendum esse, cum ipse difficultatibus in praesenti vigentibus Protestantes provocare nollet. Praeterea praedium nimis in propinquo stationis protestanticae Brandt situm esse.

29 Cum Hans Joachim NIESEL: Kolonialverwaltung und Missionen in Deutsch Ostafrika 1890-1914. Diss. Berlin 1971, p. 340 scribit régime inde ab anno 1913° solis missionibus reliquisse, ut in dissensionibus solutionem invenirent, hōc propter modum, quo querelae atque opprobria a magistratibus tractabantur, non prorsus quadrat.

30 Hōc iam apparet ex commercio epistulari, quod inter P. Athanasium Reichart et locumtenens Grawert commutatum est (9.9.1913-5.11.1913 (ASO, Z.1.07)). Athanasius Reichart propter perturbationes vehementes ab Christiano Schumann factas questus erat, sed ex responsis locumtenentis Grawert eius unilateralitas in favorem Protestantium manifestatur. Eo clarior fit res ex relatione P.ris Theodosii Schall (Sangi-Bericht (März 1916) (ASO, Z.1.07), sed imprimis ex epistulā Pancratii Pfaffel die 21 m. Mart. a. 1916 ad Thomam Spreiter directā (ASO, Z.1.07), quā de colloquio cum locumtenente Grawert Iohanne Kallweit praesente agitur. Pancratius Pfaffel ibidem non solum de *«inurbanitate contumeliosa utriusque domini»* rettulit, sed praeter alia etiam de hac condicione, quā Grawert ei *«aperte dixit, si ipse aliquid dicendum haberet, Benedictinos celeriter ex regione Masagati eiectum iri»*. (Sententia originaliter Theodisca.) Pancratius Pfaffel itaque - verisimiliter iure - suspicatus est relationes locumtenentis Grawert ad gubernium directas *«vehementer coloratas»* fuisse. - Etiam Thomas Spreiter in epistulā die 30 m. Ian. a. 1915 de talibus contra Benedictinos directis sententiis referre scit. Iam die 13 m. Iul. a. 1914 episcopus in diario suo (ASO, A.1.8.1) adnotavit haec: *«P.re Priore Eustachio Fuchs praesente cum Grawertio colloquium officiale propter rixam cum Missione Berolinensi habui. Grawert est unilateraliter captus atque indocibilis et effectus est itaque nullus.»* (Textus originaliter Theodiscus.)



describitur. Nam P. Theodosius Schall ab statione Sangi praeter alias etiam scholam exteram in loco Kiwambo condiderat. Illum locum ut stationem secundariam extendere voluit, ut regio in dexterā ripā fluvii Mnyera sitā melius tractari atque curari posset. Itaque mense Ianuario a. 1914<sup>i</sup> ab statione Sangi P. Pancratius Pfaffel<sup>31</sup> in locum Kiwambo missus est. Provisum autem erat, ut ibīdem diutius maneret, ut hanc stationem secundariam ordinaret. Inde ex illo tempore P. Pancratius Pfaffel in domo interea ibi aedificatā habitavit.<sup>32</sup> Iam mense Octobri a. 1913<sup>i</sup> in loco Kiwambo missionaria schola catholica instituebatur. Actio adversa Missionis Berolinensis, id est Iohannis Kallweit, non diu erat exspectanda. Nam brevi ante festum Natalicium a. 1913<sup>i</sup> Kallweit «scholam tutelarem resistentiaeque» in propinquo condidit. Res autem, quā condicio in peius instigata est, erat in eo, quod Iohannes Kallweit die 2<sup>o</sup> m. Apr. a. 1914<sup>o</sup> P.re Pancratio Pfaffel breviter absente immediate ante domum missionis Benedictinae «hortum» instruxit et asseveravit esse Protestantium «locum praedicandi». Cum Benedictini hanc rem omnino non curaverunt, sed circumcirca arbores atque frutices caedebant, ut agrum pro Africano coquo missionario praepararent, Iohannes Kallweit eos in statione militari Mahenge accusavit eos «*pulchrum locum Missionis Berolinensis vastavisse*».<sup>33</sup> Hunc



P. Pancratius Pfaffel.  
[ASO, Archivum imaginum.]

- 
- 31 P. Pancratius Pfaffel (1886-1983), die 25<sup>o</sup> m. Iul. 1913<sup>o</sup> sacerdotio auctus, die 7<sup>o</sup> m. Sept. a. 1913<sup>o</sup> in Africam Orientalem emissus est et ibi inde ex die 13<sup>o</sup> m. Nov. a. 1913<sup>o</sup> in statione Sangi cooperabatur. Anno 1919<sup>o</sup> ex causis primi belli mundani Africam Orientalem relinquere coactus erat. Inde ab mense Novembris a. 1921<sup>i</sup> missionarius in regione monasterii Inkamana operabatur, ubi denique vitā functus est. (Cfr Necrologium Ottiliense 2015, nr 1022, p. 100.)
- 32 Ad hanc domum, quae in colle sita erat, Benedictini mense Ianuario a. 1914<sup>i</sup> etiam stratam construxerant.
- 33 De eventibus in loco Kiwambo cfr epistula Theodosii Schall die 13 m. Iun. a. 1914 ad stationem militarem Mahenge directa (ASO, Z.1.07); Theodosius Schall: Sangi-Bericht (März 1916), pp. 7 sqq; Pancratius Pfaffel: Meine Schultätigkeit in Masagati (März 1916), pp. 1 sqq. (ASO, Z.1.07). - Episcopus quoque epistolā die 31 m. Ian. 1915 ad

in modum ei contigerat, ut in statione militari Mahenge Benedictinos ut perturbatores quietis pacisque demonstraret.<sup>34</sup> Difficultates vero etiam in regione circa locum Kiwambo sitā maiorabantur actionibus amplis atque iam notis Iohannis Kallweit, quibus partim a vi quōque adhibendā non abhorruit.<sup>35</sup> Tamen problemata magis magisque extenta in regione Masagati tantummodo sint exemplum totius condicionis improspere.

Quia indesinentes dissensiones inter missiones vigeabant et quia saepissime accusationes proferebantur, quibus de perturbatione laboris pacifici ab alterā confessione commissā querelae exhibebantur,<sup>36</sup> regiminis colonialis et Germanici officii colonialis ut repraesentantis politicae Germanicae rixam componere maximopere intererat, cum sic dicta «sollicitatio» populi Africani, «perturbationes pacis» atque hunc in modum seditionem et praeterea Islamismum corroboratum timerent.<sup>37</sup> Tamen modus se gerendi, quem regi-

---

gubernium missā in hōc problema incubuit (ASO, Z.1.07). Quin etiam in diario suo, 15.6.1914, 16.6.1914 (ASO, A.1.8.1) Thomas Spreiter de «horto» Iohannis Kallweit egit. - Exstat autem commercium epistulare de problema in loco Kiwambo valente, quod pertinet ad spatium temporis inde ab die 8 m. Ian. a. 1914 usque ad diem 22 m. Iun. 1914 (ASO, Z.1.07), in cuius disputationes singulas hic tamen incumbere nolo.

34 Contra quod opprobrium P. Theodosius Schall energice interpellavit (*cf.* epistula Theodosii Schall die 13 m. Iun. a. 1914 ad stationem militarem Mahenge missa (ASO, Z.1.07)).

35 P. Pancratius Pfäffel ab Iohanne Kallweit in statione militari Mahenge accusatus erat, quia idem nonnullos indigenas a talibus actionibus defenderat. - P. Theodosius Schall de Iohanne Kallweit eiusque methodis iudicaverat hunc in modum: «*Num psyche huiusmodi disposita, uti methodo missionariā Iohannis Kallweit manifestatur, denique omnino relationem fructuosam pacificamque cum missione catholicā invenire valeat atque velit, et num ei necessaria energia moralis insit, quā difficultates non parvae aemulatione datas semper modis licitis superet, verisimiliter solum psychiater vere peritus discernere valet.*» (Theodosius Schall: Sangi-Bericht (März 1916), p. 11 (ASO, Z.1.07)). - Textus originaliter Theodiscus.

36 Talibus accusationibus imprimis Benedictini affecti erant, sed deinde illi eodem modo contra Missionem Berolinensem se vertērunt.

37 *Cfr.* ex.gr. epistula Thomae Spreiter die 19 m. Febr. a. 1914 ad officium coloniale directa (ASO, Z.1.07) (agitur de commentario ad relationem officialem spectante); Villelmi Henrici Solf epistula die 9 m. Apr. a. 1914 ad Thomam Spreiter missa (ASO, Z.1.07), qui scripsit controversias missionariorum «*sollicitationem indigenarum atque difficultates administrationis*» effecisse. - In periodico, q.e. «Deutscher Kolonialatlas» 18, 1914, p. 35 modo relative neutrali de «*dissensionibus*» sermo erat, quae conventionibus auferendae essent. Nam officium missionis esse in eo, ut contra paganismum pugnaret et praesertim dilatationem Islamismi reprimeret. - De sic dicta «sollicitatione populi» etiam breviter Hans Joachim NIESEL: Kolonialverwaltung und Missionen (1971), p. 344.

men coloniale, imprimis stationes militares in ipsis locis responsables exhibuerunt, ad problema solvendum nihil attulit, immo idem maiorabat, cum opprobria «sollicitationis populi», quae contra Benedictinos saepe exhibita sunt, condicionibus ipsis inspectis in loco non investigarentur.<sup>38</sup> Itaque episcopus Thomas Spreiter iterum iterumque explicuit illis locis, de quibus opprobria exhibita sunt, nullas sollicitationes populi exstare, multo minus crimen fractae pacis, uti ipse propriā inspectione in locis expertus est, et eā de causā etiam saepius investigationes officiales postulavit.<sup>39</sup> His accusationibus indesinentibus, quibus scilicet etiam effectus in labores cottidianos exserebatur, missionarii atque Vicarius Apostolicus perceptionem sentiebant se unilateraliter in operibus suis impediri.<sup>40</sup>

---

38 Sic propter talia opprobria ex.gr. cum regimine coloniali dissensiones de statione Mchombi die 20 m. Apr. a. 1914 conditā exortae sunt, cum régime - modo non iustificato - postulavit, ut illa statio tolleretur, neque emptioni territorii assentiri paratum erat. *Cfr* ex.gr. epistula Thomae Spreiter die 24 m. Apr. a. 1914 ad gubernium directa (ASO, Z.1.07); Thomae Spreiter epistula die 30 m. Apr. a. 1914 ad gubernium data (ASO, Z.1.07); epistula Thomae Spreiter die 26 m. Maii ad gubernium missa (ASO, Z.1.07); epistula Thomae Spreiter die 31 m. Maii a. 1914 ad gubernium directa (ASO, Z.1.07).

39 *Cfr* epistula Thomae Spreiter die 4 m. Maii a. 1914 ad gubernium directa (ASO, Z.1.07); epistula Thomae Spreiter die 26 m. Maii a. 1914 ad gubernium missa (ASO, Z.1.07); epistula Thomae Spreiter die 28 m. Sept. 1915 ad stationem militarem Mahenge data (ASO, Z.1.07); epistula Thomae Spreiter die 19 m. Febr. a. 1914 ad officium coloniale directa (ASO, Z.1.07), ubi opprobrium quōque repudiavit rixā confessionum Islamismum foveri. Eius argumentum in eo constitit, quod interea tota regio denso reti scholarum (et catholicarum et protestanticarum) subducta esset, id quod potius damnum Islamismi significaret. - In epistolā suā die 31 m. Maii a. 1914 ad gubernium data (ASO, Z.1.07) Thomas Spreiter denique subiunxit adnotationem hanc: «*Paene cogitatio obicitur quietem atque ordinem alicuius regionis tantummodo tunc perturbari, cum missio catholica homines acquirere conatur, et cum contra vim aliorum se defendere conatur.*» - Textus originaliter Theodiscus. - Scitū quōque dignum est Thomam Spreiter in epistolā die 4 m. Maii a. 1914 ad gubernium directa (ASO, Z.1.07) facto, quod postulavit diligentem inquisitionem quaestionis, num revera sollicitatio populi exstaret et num eadem tanta esset, ut seditio timenda esset, praeterea causam attulit se nolle Benedictinos postea auctores alicuius seditionis accusari, «*sicuti etiam anno 1905 tale conamen factum est.*» - De circumstantiis argumentisque opprobriorum illo tempore prolatorum *cfr* supra cap. 3.3.1.

40 Episcopus Thomas Spreiter non timuit, ne erga régime quōque sententiam suam proferret. Hōc in conexū ex.gr. scripsit haec: «*Gubernium imperiale iam saepius nobis affirmavit se ob studia nostra in populo institutione scholāque promovendo nobis gratum esse. Hac occasione datā votum suppressere non valeo nos hanc gratitudinem eo magis aestimare posse, si eādem aliquid prodesset, ne nobis in operis nostris obstacula praeberentur.*» (Thomae Spreiter epistula die 11 m. Sept. a. 1914 ad gubernium directa

Ut quies quaedam in totam condicionem excitatam inferretur, quae crebris accusationibus in stationibus militaribus propter pacem perturbatam exhibitis exorta erat, episcopus Thomas Spreiter propositum omnino rationale protulit hōc:<sup>41</sup> «*Si hac in re consilium prorsus privatum dare mihi licet, tunc est hōc: civilis magistratus rationem saepius prolatam atque omnino rectam consequenter exsequatur et dissensiones missionum de scholis atque discipulis etc. ne curet. Magistratibus responsabilibus Mahenge atque Iringa et fortasse Songea atque Dodoma praescribatur, ut saltem ad nonnullos menses vel diutius omnes accusationes missionariorum, principum Africanorum liberorumque vel eorum vicegerentium propter scholas atque scholas frequentandas prorsu repellat et sic fere dicat: si discis, tunc régime gaudebit, sed est tua res talia hic an ibi facere (apud catholicos vel apud Protestantes). Deinde mihi videtur pro certo quies fieri.*»<sup>42</sup> Proh dolor hoc consilium non est susceptum.

Sic dissensiones protrahebantur usque in annum 1916<sup>um</sup>. Et iterum iterumque agebatur de eisdem problematis, perturbationibus invicem exhibitis atque accusationibus. Verus consensus inter Berolinensem Societatem Missionariam atque missionem Benedictinorum in Africā Orientali non iam est effectus.

Cum nunc denuo quaestionem ponamus, cui «culpa» attribuenda est, cur haec condicio difficilis exorta sit, responsum non est omnino evidens. Benedictinos fundatione duarum certarum scholarum contractum anni 1909<sup>i</sup> non respexisse approbatum est - uti ipsi quōque decursū disputationum confessi sunt. Quod illae scholae principibus Africanis compluries rogantibus conditae sunt, dilemma quidem explicatur,<sup>43</sup> tamen hac condicione sub aspectū

---

(ASO, Z.1.07)). - Textus originaliter Theodiscus.

41 Epistula Thomae Spreiter die 31 m. Maii a. 1914 ad gubernium directa (ASO, Z.1.07). - Textus originaliter Theodiscus.

42 Similiter Theodosius Schall, Sangi-Bericht (März 1916), p. 6 (ASO, Z.1.07) ad régime spectans scripsit: «*Usque in hodiernum diem mihi est persuasio firma responsales officiales certo stabilique modo se gerendi et prudenti tractatione quaestionum difficultium ab initio quasdam res et nunc datas difficultates vitare potuisse, et tunc conexio ambarum missionum Christianarum non facta esset controversia impediens, sed effectus esset consensus, quo labores invicem fulti essent.*»

43 Episcopus Thomas Spreiter interrogavit (quod argumentum intellegi potest), num sibi liceret, si compluries directe de scholis atque de missione rogaretur, illos homines ad alteram confessionem mittere, quo ire noluerant.

iuridico modus progrediendi non omnino iustificatur.<sup>44</sup> Totā re tamen demonstratur seiunctiones territoriales inter confessiones stricte impositas diu bonum effectum exserere non potuisse.

Alterā ex parte etiam se gerendi modus Berolinensis Societatis Missionariae non quidem erat utilis ad problema existens solvendum. Quod Protestantes omnino excitati atque offensi se gesserunt, quia episcopus Thomas Spreiter contractum praedeliberatum denique non iam inire voluit, nihil profuit. Etiam quod insistebant in opinione contractum non ratum habitum ut validum percipiendum esse, auxilio non erat. Id quod Berolinesi Societati Missionariae revera opprobrio dari potest, est factum, quo dissensiones statim atque modo diuturno in publicum divulgaverunt opprobria atque accusationes quōque proferentes, quae magnā ex parte realitati non conveniebant. Explicari potest hic modus fortasse ex profunda frustratione, quod res quoad contractum non ita effectae sunt, ut ipsi voluerant et ex quibus sibi emolumenta exspectaverant, et praeterea ex timore quodam, ne aemulatione cum missione catholicā superarentur.<sup>45</sup> His condicionibus valentibus possibilitas reconciliationis vix sperari potuit.

Tamen Benedictini quidem monstraverunt se de partibus suis hac in rixā sibi conscios fuisse, cum concederent «*ab utraque parte menda commissa*» esse.<sup>46</sup> Tales autem sententiae illo tempore ab Berolinensi Societate

---

44 Etiam explicatio interdum prolata, quā putavissent etiam contractum anni 1909<sup>i</sup>, cum solum fuisset provisorius, esse obsoletum, postquam provisus contractus anni 1910<sup>i</sup> renuntiatus est, non revera est sufficiens.

45 Siegfried HERTLEIN: Wege christlicher Verkündigung. 1. Münsterschwarzach 1983, p. 162 certe recte existimat problema inde exortum esse, quod progressū alterius confessionis proprias possibilitates se extendendi coartabantur, quā re etiam conscientiae conflictationes in missionariis utriusque confessionis exstabant. Putat praeterea sub aspectū huiusmodi difficultatis «*rixam formis suis saepe satis pudorem evocantem*» intellegi posse.

46 Sic in epistolā Cyrilli Wehrmeister die 13 m. Maii a. 1913 ad Franciscum Carolum Hespers datā (ASO, Z.1.07); Norbertus Weber in epistolā die 29 m. Maii a. 1913 ad Iosephum Schmidlin directā (ASO, Z.1.07). - Etiam Thomas Spreiter confessus est partem responsalitatis Benedictinae, cum ex.gr. scriberet menda, quae Benedictini commiserunt, impetibus Berolinensium esse expiata (*cf.* epistula Thomae Spreiter die 7 m. Ian. a. 1914 ad Franciscum Carolum Hespers missa (ASO, Z.1.07)), vel cum diceret «*etiam Missionem Berolinensem peccavisse*» (epistula Thomae Spreiter die 17 m. Febr. a. 1914 ad Franciscum Carolum Hespers directa (ASO, Z.1.07)). - Hōc in conexū scitū quōque dignum est Thomam Spreiter epistolā die 8 m. Dec. a. 1913 ad Vilelmum Henricum Solf missā scripsisse se transgressionem propter principes Africanos Makua atque Undole

Missionariā neque in commercio epistulari neque in publicis divulgationibus legebantur atque audiebantur.

Dissensiones vehementes atque diuturnae inter confessiones in Africā Orientali exhibitae anno 1916° deinde per se solvebantur, id est potius eventibus politicis solvebantur. Nam inde ab anno 1916° Angli decursū primi belli mundani coloniam Germanicam Africae Orientalis suscēpērunt.<sup>47</sup> Itaque - praeter alias dispositiones - etiam omnes missionarii Germani, et catholici et protestantici, stationes suas relinquere coacti sunt. Hunc in modum controversia necessario atque automaticè finita erat.

SIGRIDES ALBERT

[VOX LATINA 214, 2018, pp. 495-508]

---

factas dolere, et eum erga Aloisium zu Löwenstein (epistula die 17 m. Aug. a. 1913 (ASO, Z.1.07)) protulisse «*fortasse melius fuisse illas duas scholas non condere*».

47 Cfr. supra cap. 8.2.1.1.